e-codices

Cumque omnes reſpondiſſent amen· angelus domini apparuit ſplendidus ſicut ſol habens alas· et per quatuor angulos templi circumuolans digito ſuo in quadratis ſaxis ſculpſit ſignum crucis. Et dixit· Hec dicit dominus qui miſit me· Sicut vos omnes ab infirmitate veſtra mundamini· ita mundaui templum hoc ab omni ſorde et habitatore eius· Quem iuſſit apoſtolus dei ire in locum deſertum ab hominibus· et iuſſit ut prius oſtendam eum vobis· quem videntes nolite expaueſcere· Sed quale ſignum ego ſculpſi in his ſaxis· tale vos digito facite in frontibus veſtris et omnia mala fugient a vobis· Tunc oſtendit eis ingentem egipcium nigriorem fuligine· facie autem acuta cum barba prolixa· crines vſque ad pedes· oculos igneos ſicut ferrum ignitum· ſcintillas emittentes ex ore eius· et ex naribus egrediebatur flamma ſulphurea per maxillam adeque habentem alas ſpineas ſicut iſtrix· Et erat vinctus a tergo manibus igneis catenis inſtrictus· et dixit ei angelus domini· Quoniam audiſti vocem apoſtoli· et omnia pollucionum genera de iſto templo mundaſti· ſecundum promiſſum apoſtoli ſoluam te ut vadas vbi nulla conuerſacio hominum eſt· vel eſſe poteſt· et ibi ſis vſque ad diem iudicij· Et cum exoluiſſet eum· ille vlulatum deterrimum dire vocis emittens euolauit· et nuſquam comparuit· Angelus autem domini videntibus cunctis euolauit ad celum· Tunc rex vna cum vxore ſua et duobus filys et cum omni exercitu ſuo· et cum omni populo ciuitatis ſue et vicinarum vrbium que ad eius regnum pertinebant credentes baptizatus eſt· Et depoſito diademate capitis et purpura cepit apoſtolum non deſerere· Interea colligentes ſe vniuerſorum templorum pontifices abierunt ad aſtyagem regem fratrem eius maiorem· et dixerunt ei· Frater tuus diſcipulus factus eſt magi hominis qui templa noſtra ſibi vindicat et deos noſtros confringit· Cum hec flentes referrent· ecce et aliarum ciuitatum pontifices ea reperiunt flentes referre· Tunc rex aſtyagis indignatus· miſit mille viros armatos cum pontificibus· ut vbi inuenirent apoſtolum vinctum illum producerent ad eum· Quod cum feciſſet· dixit ad eum aſtyagis rex· Tu es qui euertiſti fratrem meum· Cui apoſtolus dixit· Ego non euerti eum ſed conuerti· Dicit ei rex· Tu es qui deos meos feciſti comminui· Dicit ei apoſtolus· Ego dedi demonibus poteſtatem qui in eis erat ut ipſi conquaſſarent idola vana in quibus degebant· ut omnes homines relicto errore crederent omnipotenti deo qui in celis habitat· Dicit ei rex· Sicut tu feciſti fratrem meum relinquere deum ſuum et deo tuo credere· ita ego faciam te relinquere deum tuum et deo meo credere et ipſi ſacrificare· Dicit ei apoſtolus· Sed ego deum quem colebat frater tuus religatum et vinctum oſtendi· et ipſum feci ut frangeret ſimulacrum ſuum· Si potueris tu hoc facere deo meo poteris me ad ſacrificium prouocare· Si autem tu nichil potes facere deo meo· ego omnes deos tuos comminuam· et tu crede deo meo· Hec cum diceret nunciatum regi eſt quod deus baldad cecidiſſet· et minutatim abiſſet· Tunc ſcidit rex purpuream veſtem qua indutus erat· et fecit fuſtibus cedi ſanctum apoſtolum· ceſum autem iuſſit decollari· Venientes autem innumerabiles populi xii ciuitatum qui per eum crediderant vna cum rege abſtulerunt cum ymnis et cum omni gloria corpus eius· et conſtruxerunt ei baſilicam mire magnitudinis· et in ea poſuerunt corpus eius· Factum eſt autem triceſimo die depoſicionis eius· arreptus demonio rex aſtyagis· Venit ad tumulum eius et omnes pontifices pleni demonio paſſi ſunt ibi confitentes apoſtolatum eius et ſic ſunt mortui· Factus eſt autem timor et tremor ſuper omnes

Lizenz: CC-BY-NC – St. Gallen, Kantonsbibliothek, Vadianische Sammlung, VadSlg Ms. 70, f. 59v – Casus Sancti Galli; Vitae sanctorum (http://www.e-codices.ch/de/vad/0070/59v)